



## C A P U T IV.

*VIENNAM eandem esse cum antiqua VINDOBONA ostenditur contra Kuchelböckerum.*

**L**iquet istud ex iisdem intervallis VIENNÆ, & VINDOBONÆ a vicinis, iisque cognitis locis, quæ assignat Itinerarium ANTONINI, & tabulae PEUTINGERIANÆ. Adstipulatur CLUVERIUS in sua VINDELICIA, & NORICO pag. 22.

Præterea certum est locum eum, quem nunc VIENNA situ suo occupat, a ROMANIS olim habitatum fuisse. Docent hoc numi plurimi, lapides, & lateres cum Romanis inscriptionibus, & alia non pauca Romanæ antiquitatis monumenta hic & in vicinia inventa: alia in *Alsa Dominorum*, alia in *via*, quam vocant *Curforum*, cum STOKAMERIANUS, vicinique horti cum novis palatiis æstivis consurgerent. Item in BERGHOFF, cum Domus WIDMANNIANA, & alia patrum CISTERCI NEOSTADIENSIS strueretur. Item in foro alto tempore ABERMANNI Anno 1616. & nostra ætate sæpius, dum subterranei meatus ducuntur, aut domus antiquæ a fundamentis reparantur: mihi inde diversi numi Romani obtigere, lateres vero Romani vicenis plures ex *Alsa Dominorum*; ubi vero similiter Romanorum Militum for-



fornax lateritia stetit. Alia Romanæ antiquitatis monumenta VIENNÆ eruta hæredes celeberrimi Domini de FRANCE, alia alii ostentant.

De his vide plura apud LAZIUM *Rer. Vienn.* L. I. c. 6. item L. 2. c. 2. & in *Commentar. Reipubl. Rom.* L. 5. c. 20. & L. 12. pag. 980. Apud FUHRMANNUM P. I. VIENNÆ c. 10. item pag. 718. &c. & P. IV. AUSTR. pag. 583. & utrinque sparsum.

Consentient denique Sepulchra Romanorum, quæ, ut de remotiori ævo taceam, recentius effossa sunt, nec certe aliunde hoc translata fuere.

Sepulchrum ejusmodi repertum est Anno 1662. 28. Januarii sub muro civitati adhærente, cum novus aulæ CÆSAREÆ tractus ædificaretur. Anno dein 1748. cum Patres, quos Conventuales vocant, Monasterium suum altius educerent, plures urnæ, lampadesque effossæ sunt.

Recentissime demum, anno nempe 1759. 2da. Novembribus in foro vel platea, quæ *veteris macelli* vocatur, monumenta duo eruta sunt, ingens unum cum inscriptione :

D. M.

AVR. SECUNDINE

Minus alterum sine inscriptione. In utroque ossa, cineres, lampades, lacrymatorium, &c. Egomet & monumenta inspexi, & locum, in quo effossa sunt. Utrumque Claris-

Not. Vindob.

C

fimus



simus LAMBACHERUS notis suis illustravit, qui etiam inde concludit prædicta spatia extra Urbis ambitum olim fuisse, cum lege XII. Tabularum sepulturæ intra urbium muros vetarentur.

Sed jam ad meritum causæ: si ex tot antiquitatibus Romanis manifestum est, Romanam aliquam Civitatem hic loci existisse: quæ obsecro, fuit, si non VINDOBONA?

Mansit hoc urbi nomen, vel subinde, non eruditius, ut ego automo; sed corruptius *Vindomana*, usque ad Annum Christi 451. quo sub ATTILA Rege ab Hunnis per has terras in GALLIAM irrumpentibus forsan vastata, non vero eversa est. ATTILA subinde in PANNONIAS reverso iterum a Romanis, adscitis in societatem RUGIS, restituitur circa annum salutis 454. quo ATTILA periit.

## C A P U T V.

*VIENNAM eandem esse cum FAVIANA demonstratur  
contra LAMBECIUM, & PAGIUM.*

**F**AVIANÆ, vel ut corrupto subinde vocabulo dicta est, FABIANÆ nomen primus EUGIPPIUS in vita S. SEVERINI prodidit.

Hanc